

LECTIONUM

LITERIS ADLERIANIS.

INDEX

LECTIONUM

ACADEMIA ROSTOCKIENSIS

RECTORIUS ROSTOCKIENSIS A. 1800

Die 22. u. 23. OCTOBER

In prima philosophia

LECTIONES THEATRALES

- D. Carolus Fridericus Quittenbaum, P. P. O.,** 1) in demonstrationibus anatomicis splanchnologiam, angiologiam et neurologiam h. II—IV diebus Lunae, Martis et Jovis; 2) osteologiam, syndesmologiam et myologiam horis II—IV diebus Mercurii et Veneris docebit; 3) in secandis cadaveribus auditores hh. IX—XII quotidie erudiet.
- D. Fridericus Hermannus Stannius, P. P. O.,** tradet: 1) anatomem comparatam, duce v. Siebold et Stannius *Lehrbuch der vergleichenden Anatomie*. Berl. 1845—46. 8. quotidie h. XII—I; 2) pathologiam generalem quotidie h. XI—XII.
- D. Christianus Krauel, P. P. O., h. t. Decanus,** 1) tradet artem obstetriciam quater p. h. h. IV; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quotidie h. VIII moderari perget.
- D. Jo. Frid. Guil. Lesenbergh** has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.
- D. Joannes Schroeder** tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychicorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.
- D. Ludovicus Dragendorff** 1) tradet artem obstetriciam; 2) examinatoria et repetitoria offert.

In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O.,** publice 1) quaternis diebus h. XI Aristophanis *Nubes* interpretabitur; 2) binis diebus h. XI varios locos poëseos graecae religionumque graecarum mutua comparatione illustrabit; 3) quaternis diebus h. III Ciceronis libros de finibus bonorum et malorum explicabit. Denique exercitationes seminarii philologici moderari perget, in quo Euripidis *Iphigenia Taurica* atque Terenti *Heautontimorumenos* pertractabuntur.
- D. Joannes Roeper, P. P. O.,** privatim docebit 1) Zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, quinis diebus h. XI; 2) initia cryptogamologiae diebus Martis, Mercurii et Jovis h. III; 3) publice physiologiam plantarum diebus Lunae et Veneris h. III tractabit; 4) disputationes de rebus physicis una cum collegis de Blücher et Karsten moderabitur.

- D. Eduardus Danielis Henricus Becker, P. P. O.,** docebit
 1) publice culturam sylvarum bis p. h. h. III; 2) privatim agriculturam et rem pecuariam octies p. h. h. IX; 3) de praedio rite administrando totaque re rustica bene instituenda exponet quat. diebus h. XI.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus,** privatim
 1) quaternis diebus Homeri Iliadem interpretabitur; 2) binis diebus Plinii epistolas explicabit; 3) privatissime quaternis diebus antiquitates graecas tractabit.
- D. Helmuth de Blücher, P. P. O.,** privatim docebit 1) chemiam experimentalem sexies p. h. h. X—XI; 2) chemiam practicam bis p. h. h. II—V.
- D. H. Karsten, P. P. O.,** docebit: publice astronomiam popularem bis p. h.; privatim 1) geometriam analyticam quater p. h.; 2) mineralogiam quater p. h. horis commodis. Privatissima denique proponit collegia de quavis matheseos vel physices parte, nec non de rebus nauticis. Conversatorium de rebus physicis una cum collegis Röper et de Blücher moderabitur.
- D. Carolus Türk, P. P. O.,** publice 1) Taciti Germaniam commentabitur bis p. h. h. II; 2) de America foederata tractabit bis p. h. h. II; 3) privatim historiam medii aevi, quinquies p. h. h. XI; 4) historiam legum Germanicarum docebit ter p. h. h. II.
- D. Christianus Wilbrandt, P. P. O., h. t. Rector,** privatim
 1) historiam literarum Germanicarum quaternis diebus h. IX; 2) historiam philosophiae senis diebus h. X enarrabit; 3) exercitationes Seminarium philosophico-aestheticum moderabitur horis constituendis.
- D. Fridericus Francke, P. P. E.,** publice praecipiet hodegeticon s. methodologiam studii academici ternis per hebdomadem diebus h. VIII—IX. Privatim docebit 1) logicam quinis p. h. dd. h. IX—X; 2) metaphysicam quinis p. h. dd. h. X—XI; 3) principia paedagogica quaternis p. h. dd. h. XI—XII.
- D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E.,** privatim 1) quaternis diebus h. III—IV Euripidis Phoenissas explicabit; 2) quaternis diebus h. IV—V Horatii Satiras illustrabit; 3) binis diebus h. X—XI de particulis Graecis disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.
- D. Eduardus Schmidt, P. P. E.,** 1) publice introductionem philosophicam in theologiam dogmaticam bis p. h. h. III; 2) privatim encyclopaediam disciplinarum philosophicarum, praemissa introductione universali in philosophiam, quinquies p. h. h. IV; 3) privatim psychologiam docebit quater p. h. h. V.

Constat, M. Tullii Ciceronis in C. Verrem actiones etiam nunc post utilissimam Zumptii operam multis locis vehementer corruptas esse. Quo magis optandum est, ut Lobeckius, qui aliquando harum orationum edendi consilium agitasse dicitur, Madvigius, M. Hauptius alique critici graece et latine docti iidemque in Tullio egregie versati quam primum emendationes suas in medium afferant. Equidem nunc paucas quasdam conjecturas proponam, plura alio loco daturus. Act. I, 3 „sese (id quod difficillimum fuerit) tempus ipsum emisse iudicii sui, quo caetera facilius emere posset.“ Multi codices habent emere postea posset, solus Guelf. I emere posset postea. Hinc corrigo, „quo caetera facilius emeret postea.“ Necessarium est enim postea i. e. anno proximo. — Ibidem c. 6 „Ut primum e provincia rediit, redemptio est huius iudicii facta grandi pecunia. Ea mansit in conditione atque pacto —.“ At non vere facta est redemptio, sed tantum frustra bis tentata. Quare conjicio, „redemptio est huius iudicii pacta grandi pecunia.“ — Ibid. c. 9 infeliciter sane Zumptius edidit „Quod cum esset intellectum et animadversum, fecit animo libentissimo populus Romanus, ut cujus divitiae me de fide deducere non potuissent, ne ejusdem pecunia de honore dejicerer.“ Tam incondite scribere Cicero ne in epistola quidem potuit, nedum in oratione. Summam rei jam J. G. Graevius, vir eximius perspexerat probata editionum principum scriptura „— ne ejusdem pecuniae de honore dejicerent.“ Quod enim Graevio Zumptius objicit, in optimis codicibus legi „pecunia“ ac deinceps „dejicerer“: debebat potius et Graevium et vero codices ita sequi, ut unica literula mutata scriberet „— ne ejusdem pecunia de honore dejiceret.“ Nunc errorem suum Zumptius ne in Appendice quidem p. 1011 retractavit, ubi docet pro eo, quod ipse edidit dejicerer, in Guelf. I legi deiceret, in Leidensi autem dejicere. Atqui Guelferhytanum I Z. alias admirari solet. — Ibid. c. 12 „profiteor huic generi hominum me inimicum, accusatorem odiosum, assiduam, acerbam adversarium. Hoc mihi sumo, hoc mihi depono —.“ Orationis genus Cicerone indignum et frustra a Zumptio defensum Memmius olim emendare studuit ordine verborum sic mutato „profiteor huic generi hominum me inimicum odiosum, accusatorem assiduam, acerbam adversarium.“ Ego vero malim „profiteor huic generi hominum me inimicum assiduam, accusatorem odiosum, acerbam adversarium.“ Non magis Cicero scribere potuit, ut a Zumptio e libris quibusdam editum est „Hoc sumo, hoc mihi depono —“, potuit „Hoc mihi sumo, hoc depono —“. Paullo post vulgo absurde legitur „aut recipere aut accipere.“ Verissime Asconius, qui totum locum

optime interpretatur, legit „aut accipere aut recipere,“ quod ipsum exstat in optimo Florentino (Lagom. 29). Quomodo autem singula membra sibi invicem opponantur, ex ipsa interpunctione patebit: „Moneo, praedico, ante denuntio: qui aut deponere aut accipere, aut recipere aut polliceri, aut sequestres aut interpretes corrumpendi iudicii solent esse, quique ad hanc rem aut potentiam aut impudentiam suam professi sunt, abstineant —.“ — Ibid. c. 13 §. 38. Locus non ita graviter corruptus, cujus mala distinctio et falsas explicationes et conjecturas traxit violentas. Pro verbis „nullo iudice“ corrigendum est „in nullo iudicio,“ plane ut continuo scriptum est §. 39 „in eodem iudicio et ab reo pecuniam acciperet.“ Tum haec verba arcte cohaerent: „quum equester ordo iudicaret annos prope quinquaginta continuos“ i. e. quamvis equester ordo iudicaret annos prope L (non X tantummodo annos, quot senatus). Ita igitur scribo itaque distinguo: „Cognoscet ex me populus Romanus, quid sit, quamobrem, quum equester ordo iudicaret annos prope quinquaginta continuos, in nullo iudicio, equite Romano iudicante ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae ob rem iudicandam constituta sit.“ Ceterum Zumptius conjecit „in nullo iudice“ loco non intellecto. — Ibid. c. 16. „Vident adhuc post legem tribuniciam unum senatorem vel tenuissimum esse damnatum.“ Pro verbis „unum senatorem“ Asconius, qui dicitur, habet lemma „unum hominem:“ qua utraque lectione conjuncta scribo „— unum senatorem, hominem vel tenuissimum, esse damnatum.“ Paulo post haec leguntur: „Deinde est ejusmodi reus, in quo homine nihil sit, praeter summa peccata maximamque pecuniam.“ Conjicio, „in quo hominis nihil sit;“ cf. Quaest. Tusc. III, 32 cum nihil hominis esse et infra II, 2, 54 quid hominis sit. Saepius Cicero Verrem dicit nihil quidquam simile hominis habere, velut infra IV, 14 §. 33, simul ille joco alludens ad ambiguitatem ipsius nominis, ut infra Act. II L. I c. 46 et apud Plutarchum in Cicerone c. 7. — Ibid. §. 48 „Ita res a me agetur, ut in eorum consiliis omnibus non modo aures hominum, sed etiam oculi [populi Romani] interesse videantur.“ Saepius, ut in hac ipsa oratione c. 3 §. 7, oculorum iudicium auribus anteponitur, de qua re Naekius in Opusc. I p. 70 sqq. acutissime disputavit. Recte igitur Garatonius vocem „oculi“ pernecessariam iudicat. At hominibus oppositus populus quid aliud est, quam populo populus ipse oppositus, id quod merito Zumptius sibi placere negat. Equidem verba „populi Romani“ delenda esse censeo. Nam pro vulgatis „etiam oculi populi Romani interesse videantur“ codex Stephani habet „etiam populi Romani interesse videatur,“ denique liber Lambini et ambo Guelf. „etiam populus Romanus interesse videatur.“ quam postremam lectionem utcumque ineptam Zumptius probavit monitu Guelferbytni oraculi. Immo pro v. „oculi“ primum male scriptum est „populi,“ deinde „populi R,“ tum „oculi populi R,“ postremo „populus R.“ — Ibid. c. 17 „Quapropter primum ab diis

immortalibus, quod sperare mihi videor, hoc idem, iudices, opto —.“ Hic opto, quod pro vulgata peto dant editio Stephani, codices Lambini, ambo Guelf. et Leid., recte a Zumptio receptum esse demonstrabo. Igitur peto glossema esse inusitata docet oppositio. Namque optandi et sperandi verba opponi a Cicerone solent: id quod si pueros docerem, multis confirmarem exemplis. Nunc ita intelligo, de Ciceronis emendatione, nisi qui hunc scriptorem sui ubique similem naviter perlegerit, judicare posse neminem. — Ibid. c. 18 „Si quis erit, qui perpetuam orationem accusationemque desideret, altera actione audiet: nunc id, quod facimus, ea ratione facimus, ut malitiae illorum consilio nostro occurramus, necessario fieri intelligat.“ Hic non modo vitium ipsum, sed ne sedes quidem vitii a criticis animadversa est. Etenim Asconius alique conjecerunt, „facimus“ altero loco delendum esse. At neque rhetorica hujus verbi repetitio vituperanda erat, neque ipsius structurae ratio, si quidem verba „quod facimus, ea ratione facimus“ sic intelligi debent „quod facimus, quod ea ratione facimus.“ Pro v. „desideret“ male habent septem Florentini libri „desiderat,“ pro „intelligat“ omnes Florentini „intelligent,“ quam lectionem jam Hottomanus noverat. Atque in eo ipso verbo vitium inesse satis docet syntaxis. Corrige „— necessario fieri intelliget,“ nihil praeterea. — Act. II Lib. IV, 1 §. 2 „Quum dico, nihil istum ejusmodi rerum in tota provincia reliquisse, latine me scitote, non accusatorie loqui. Etiam planius: nihil in aedibus cujusquam, ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem: nihil apud Siculum, nihil apud civem Romanum: denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, neque privati neque publici, neque profani neque sacri tota in Sicilia reliquisse.“ Pro verbis „denique nihil“ dudum correxi ordine mutato, uti Tullius scripserat „nihil denique,“ quando vox primaria maximeque insignis „nihil“ sexies ab initio novi membri collocanda erat. Ceterum verba „denique nihil“ aliquo modo corrupta esse eo credibilis est, quod Zumptio teste in Appendice p. 1062 „nihil“ abest a mss. deterioribus plerisque Lagom. quidem VIII et editionibus Aldina antiquioribus; contra unus Guelf. antiquior addit porro. Quid, quod nunc video, F. Ursinum aliis in lectionibus versantem loco longiore adscripto tamen citasse „nihil denique“ addito, ita videri hunc locum legendum esse. Nescio autem, utrum F. Ursinus suam ipsius conjecturam sequatur, an librum illum veterem, qui Zumptio in Praefatione p. XV adnot. haud displicuit. — Nemo nescit, optimos quosque scriptores formula per causam sic uti solere, ut v. c. per causam valetudinis remansit nihil aliud sit, quam remansit valetudinem causatus. Exempla hujus formulae pauca de multis collegit Casaubonus ad Suetonii Caesarem c. 2 extrem. Tantilla res profuerit ad emendationem loci, qui est ibidem c. 3 §. 6 „qui tamen signa atque ornamenta sua cuique reddebant: non ablata ex urbibus sociorum quatruidi causa per si-

mulationem aedilitatis, domum deinde atque ad suas villas auferebant.“ Hoc in loco qui unus haesit Lambinus, tametsi male deleto v. *quatridui* non bene coniecit, per causam et simulationem aedilitatis, quod vix puto latinum: verissime tamen *quatridui* causa genus loquendi usitatum esse negavit ideoque haec correctionis egere statuit. Enimvero pro „causa“ exhibent „causam“ ipse Vaticanus, tum libri Lambiniani, Regius, ambo Guelff. et coll. Hafn., qua lectione probata deleo v. „simulationem“ utpote glossema et pro „quatridui“ scribo, ut res ipsa postulat, „in quatriduum.“ Totum igitur locum sic emendandum esse contendo: „non ablata ex urbibus sociorum in quatriduum per causam aedilitatis, domum deinde —.“

Hic primum mentio a nobis facta est Vaticani rescripti, quem librum Zumptius quum alibi tum in Praefatione p. XXXVII sq. non ille quidem pro nihilo ducit, veruntamen quasi vulgaris lectionis parentem prae Guelferbytano I tanquam antiquissimi fontis rivulo paene contemnit. At superiores loci, tametsi sumsi omnes, nullum elegi, tamen partim ejusmodi sunt, ut ex iis vera Guelferbytani I indoles quodammodo intelligi possit, qui codex omnino e melioribus est, sed nihil ad Vaticanum tantae librum antiquitatis. Neque vero Zumptio Verrinas codicum ope diligentius recensenti certioreque restitutionis viam monstranti quidquam plus nocuit majoresque tenebras obduxit, quam quod de neutro horum librorum satis recte judicasse videtur. Sed quum longiorem disputationem hujus prooemii angustiae non capiant, de Vaticani libri virtutibus vitiisque alio loco exponam.

D. Carolus Hegel, P. P. E., 1) publice historiam Megapolitam tradet bis per hebd. h. IV — V; 2) privatim historiam recentissimi aevi inde ab a. 1789 sexies per hebd. h. III — IV.

D. Carolus Weinholtz privatim 1) logicam formalem docebit ex secunda parte compendii sui («die Erfahrungs-Logik»); 2) Graecorum veterum philosophiae historiam enarrabit.

D. Bernardus Sthamer docebit 1) pharmacognosin ter per hebd. h. III—IV; 2) chemiam organicam praecipue ratione pharmaciae habita ter per hebd. h. II—III; 3) exercitationes practicas in Laboratorio chemico-pathologico quater per hebd. h. XI—XII instituet; 4) examinatoria et repetitoria cupientibus offert.

* * *

Bibliotheca h. XII—I quotidie, festo die et solis excepto, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferatur § 1 legum de usu bibliothecae academicae scriptarum. Gallicam, anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem equitandi, pingendi, musicam et artem gymnasticam doceant. — Domicilia quaerentibus monstrabit **J. H. Schultze**, Academiae nuntius juratus.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Christianus Wilbrandt, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **O. C. Krabbe, Th. D.**

Juris consultorum **R. Jhering, J. U. D.**

Medicorum **Ch. Krauel, M. D.**

Philosophorum **L. Bachmann, Ph. D.**



INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior,** privatim 1) historiam dogmatum h. VIII — IX senis dd. tradet; 2) historiae ecclesiasticae partem priorem h. IX—X quinis dd. enarrabit. Publice catechetice h. XII—I dd. Lunae et Jovis praecipiet, et in Seminarii sodalitia catecheticae sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.
- D. Jo. Phil. Bauermeister, P. P. O.,** 1) privatim quinis dd. hor. X — XI evangelia Matthaei, Marci et Lucae interpretabitur; 2) privatim quaternis dd. h. III — IV isagogen historicam et criticam in libros canonicos et apocryphos Veteris Test. tradet; 3) publice binis dd. h. XI — XII Actorum eos locos, qui in dogmatica maximi momenti sunt, explicabit; 4) disputationes de rebus ad dogmaticam pertinentibus moderabitur.
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., Ord. Theol. h. t. Decanus,** 1) privatim senis dd. h. XI theologiam dogmaticam docebit; 2) publice dd. Lunae et Martis h. IX doctrinae christianae historiam enarrabit; 3) publice quaternis dd. h. IX artem liturgicam tradet; 4) in Seminarii sodalitia homileticae sodalium exercitationes die Mercurii h. II et III moderabitur.
- D. Franc. Delitzsch, P. P. O.,** 1) privatim partem vaticiniorum Jesaianorum alteram interpretabitur quinis per hebdom. diebus, h. X — XI; 2) privatim evangelium Johannis, item quinis per hebdom. diebus h. XI — XII; 3) publice linguam samaritanam docebit, persequens simul monumentorum literarum samaritanarum quotquot supersunt historiam, binis diebus horis definiendis; 4) publice exercitationes conversatorii exegetici moderari perget binis per hebdom. horis vespertinis VII — IX die Mercurii.
- D. Julius Wiggers, P. E.,** 1) coram omnium ordinum auditoribus historiam Megapoleos ecclesiasticam enarrabit dd. Mart. et Ven. h. IV; 2) archaeologiam ecclesiasticam tradet quaternis dd. h. XI; 3) evangelia Matthaei, Marci et Lucae interpretabitur quinis dd. h. X; 4) epistolam Jacobi explicabit dd. Lun. et Jovis h. IV.

In ordine juridico.

- D. Conradus Theodorus Gründler, P. P. O., publice tradet**
 1) encyclopaediam juris, duce Falck, quater per hebd. h. IX—X;
 2) textum institutionum justinianearum secundum editionem minorem Schraderi explicabit sexies h. XI—XII; 3) jus ecclesiasticum Catholicorum aequè ac Protestantium, ducibus Wiese et Walter, sexies per hebd. h. III—IV.
- D. Augustus Ludov. Diemer, P. P. O.,** 1) publice senis diebus h. III—IV docebit institutiones juris Romani, duce compendio Ferdinandi Mackeldey; 2) privatim quaternis diebus h. V—VI tradet jus Megapolitanum tum publicum tum privatum, ex schedis suis; 3) binis diebus hora deinde constituenda enarrabit historiam utriusque Megapoleos usque ad annum 1621 librum Caroli de Lützow secuturus, exinde autem suas schedas cum auditoribus communicaturus.
- D. Fridericus Raspe, P. P. O., tradet principia juris criminalis communis et Megapolitani, duce Heffter, sexies h. XI—XII et XII—I.**
- D. Henricus Thöl, P. P. O., tradet jus germanicum privatum quater h. III—IV et IV—V.**
- D. Rudolphus Jhering, P. P. O., Ord. J.Ctor. h. t. Decanus, tradet Pandectas, duce Puchta, sexies h. XI—XII et XII—I.**
- D. Guilelmus Leist, P. P. O., tradet** 1) Institutiones conjunctas cum brevi historiae juris Romani expositione sexies per hebd. h. X—XI; 2) jus hereditarium quater h. IX—X.
- D. Theophilus Henricus Fridericus Gaedcke** 1) tradet principia, quae officium notariorum spectant, horis deinde constituendis; 2) quater per hebd. collegium civile practicum instituet.
- D. I. de Gloeden jus publicum Megapolitanum ter p. h. docebit.**

In ordine medico.

- D. Henricus Spitta, P. P. O., tradet quatern. hebdom. diebus**
 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem;
 3) clinicen propaedeuticam binis hebdom. diebus.
- D. Carolus Strempel, P. P. O., docebit quater p. h.** 1) materiam medicam artemque formulas medicas rite concinnandi h. IV;
 2) chirurgiae partem primam h. VIII; 3) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus illustrandam, h. III et 4) exercitationes practicas in Clinico medico-chirurgico quotidie h. IX—XI moderabitur.